ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

V. N. Constantino Hugenio
equiti. S. P.

Vir Nobilissime

Quae colloquii nuper congesta paraveram, membra-
naceo ministerio ad aures tuas defero, ut inter oc-
cupatae mentis diverticula levioribus curis parci
temporis segmenta indulgeas. Nostri enim memoriam
haec calami sedulitas apud te refricare conatur;
tantum a Latii cultu degenerans, quantum in hac
mundioris dialecti pigmenta fortunae licere nosti.
Aëris temperiem languor aut alacritas corporis se-
quitur, animum fati necessitas rapit. Sed praeambu-
li sermonis compendio longius deducta annecterem,
nisi fastidiose repetita Musei tui autoritas prohi-
beret. Paucula tamen praecipiti calamo alas inter-
vellunt, per numeros suos digerenda, si aurium hia-
tum operam commodare querelis praegnanti libeat.
In finem avolat decurrens annus, ex quo Haganis
insertus, augustioris subsellii viros in fortunae meae
fabricam sollicitabi. Lugduno redditus iudicem
nanciscor, qui in natalis soli gremio quietem Mu-
sis, exenterata crumena fartum spondet. Pul-
verulentae enim functionis imperium patrocinio
suo nobis deferri curabit. Hinc fluctuantem me
fastidiosa sparta putidus fulgor versat, illinc

fati

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848

fati iniquioris calamitas vitrici sudoris constantiam
acuit. Ita tædium diluit erecta spes, et adversus
Arcadici vulgi quisquilias velut vortices infracta
luctatur. Sed dum honestius Musas emancipare
animus laborat, velut e specula lynceus longinquæ
spei suæ fomentum arcessit. Sæpe repetiti conatus
ferborem nescio quæ morarum lentitudo decoquit, ubi
plebeiorum nervos necessitas velut tremebunda fatigat.
Si lentius velificanti patrocinantis favor remigii
operam societ, minus adhærescet vadis cymbula,
quæ non raro armamentis suis excussa, naufragii
metum gubernatori incutit. Tu, vir nobilissime,
si curæ tuæ nutuum non subtrahis, Priscianæis
Gruterum exime, qui ad scholasticam crambem
velut λειτουργίαν suspirat. Quo potissimum
operam dirigi volim, vanæ indaginis res est apud
eum, qui Pindi alumnos sacramento suo constringi
nolit. Vale vir Nobilissime, et si me amas,
hoc age. Davidi de Willem officiose, nisi
grave est, salutem meo nomine impertias oro.
Iterum vale. raptim Middelburgi X Calend.
Decemb. CIƆ IƆC XXXIII

T. tuus
Isaacus Gruterus

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848

Myn Heer

Constantinus Hugenius
ridder, heer van Zuilichem,
raet ende secretaris van syn
princelicke excellentie. woonach-
tich in de houtstrate in
sGravenhage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848